



1. Carpvov / i. iac. / Specimen quintum
de Applicatione Methodi Scienti-
ficae ad Theologiam revelatam,
Iena.
2. Carpvov / i. joh. Bened. / Diss. de
iure decidendi Controversias theolo-
gicas, Lipsiae, 1695.
3. Deutschmann / i. Abrah. Henr. /
Diss. de Immortalitate et Immuta-
bilitate Divinae Essentiae, Witten-
bergae, 1692.
4. Gerner / i. Salam. / Diss. II. de Eccle-
sia triumphante in caelis,
Wittenbergae, 1595

18
JOH. BARTHOLDI NIEMEIERI,
SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS, EJUSDEMQUE PRO-
FESSORIS PUBLICI AC ORDINARIJ

PROGRAMMA
LECTIONIBUS

CONTRA

NEO - PHOTINIANOS

SIVE

SOCINIANOS

publicè
IN ILLUSTRÆ ACADEMIA JULIA
instituendis
præmissum.



HELMESTADII,
TYPIS GEORG. WOLFGANGI HAMMI, ACAD. TYPOGR.
ANNO MDCCIII.

12
ION. RARTHOLDI NIEMELERI
SS. THEOLOGIC. DOCTORIS, EISELEMOE PRO-
FESSORIS PUBLICI AC ORDINARI

PROGRAMMA
LECTIONIBUS

CONTRA

NEO-PHOTINIANOS

SIVE

SOCINIANOS

publico

IN FLUSTRI ACADÉMIA JULIA

instituta

praesidium.



HALLMANNI

Typogr. Georg. Wittenberg. Hamm. Acad. Typogr.
ANNO MDCCLII





Εὐν τῷ Θεῷ.

SUMMÆ AC SANCTISSIMÆ DISCIPLI-
NARUM

THEOLOGIÆ

IN

ILLUSTRI ACADEMIA JULIA

STUDIOSIS

S. P. D.

JOH. BARTHOLDUS NIEMEIERUS, D.



Vix potuit Ecclesiæ Occidentalis non exigua pars cum ab erroribus, tum ab abusibus, quibus Romanorum Pontificum culpa pedetentim erat inundata, B. Martini Lutheri & veteris operâ, occasione per Indulgentiarum à Veteris Ecclesiæ praxi alienissimarum nundinationes, quas Johannes Tezelius, Dominicanus monachus, Alberti, Moguntini Archi-Episcopi, favore fultus, criminum maximorum, tam commissorum, quam futurorum & animò designatorum ac designandorum remissionem, interventu pecuniæ secundum potestatem à Romano Pontifice sibi factam magnò hiatu promittens, passim instituebat, liberari, tenebrarumque, quibus Evangelii doctrina circumseptâ & obfuscata erat, caligo dispelli, ut clarior lux fulgens afflitas animas solidò solatiò reficeret, quin gaudium inde percipiendum diversâ ægritudines

A 2

47
dines interturbarent. Cùm enim annò 1517. B. Lutherus Indulgentias istas Thesibus suis Wittebergæ publicè propositis non parum suspectas reddidisset, post biennium, annò videlicet 1519. inter Helvetios idem negotium Huldericus Zwinglius Tiguri, quò Glaronâ ex cremo, quam Diva Virginis appellant, ad docendum Verbum Dei vocatus erat, suscepit quidem, attamen cùm is ex intervallo doctrinam de Sacra Cœna corrumperet, nec minùs aliis Christianæ doctrinæ capitibus similem depravationem affricaret, novam Ecclesiæ intulit calamitatem. Venerat nimirum, jussu Pontificis, Samson, Mediolanensis, Franciscanus, Indulgentiarum Papalium præco Tigurum, cui amplissimâ remissionis peccatorum pollicitatione propositâ Helvetios pecuniâ emungenti, Zwinglius acriter sese opposuit. Quod ipsum tamen dum egit, longius progressus est, neque in iis, quæ B. Lutherus circa S. Cœnam emendanda atque ad orthodoxiam revocanda indicaverat, acquiescens, errorem, in quem Johannes Scotus, Erigena, Bertramus sive Ratramnus, Presbyter Corbejenfis, Berengarius, Archidiaconus Andegavensis, ac Johannes Wiclefus, Oxoniensis, inclinaverant, renovavit, præsentiamq; veram ac substantialem corporis & sanguinis Christi in S. Cœna in dubium vocavit, ac consecratum panem vinumque accipientes, nihil nisi nuda corporis & sanguinis Domini signa accipere causatus fuit. Quâ in re cùm ad stipulatorem atque hyperaspisten nactus fuisset Johannem Oecolampadium, atque in aliis quoque dissensus conspicuus fieret, non solum *Sacramentarium* nomen emerfit, sed & longius in partes itum est, cùm postmodum Johannes Calvinus, Theodorus Beza, aliique Prædestinationis decretum ita absolutum facerent, ut ante lapsus prævisionem illud collocarent, nec non de operatione gratiæ irresistibili ab Augustino motam, à Godeschalco autem Seculò IX. renovatam quæstionem denuò moverent, res etiam adiaphoras, quæ ex Christiana libertate optime potuissent retineri, tanquam res impias, Anti-Christi spiritum redolentes abrogatas vellent, ut tantò longius à
B. Lu.

B. Luthero aliisque meliora edoctis recederetur. Cum verò inter Lutherum & Zwinglium per aliquot annos dissidium esset agitarum, inter utrumque Hassiæ Landgravii auspiciis Marpurgi annò 1529. colloquium fuit institutum, quod tamen sententiarum conciliationem afferre non potuit. Cum verò dispositiones illæ de S. Coena Dominica Pontificiis pergrata essent, reliquis verò valde dolerent, Martinus Bucerus sequenti annò 1530. de voluntate Saxonis Electoris & sui magistratus, Augustà proficiscitur ad Lutherum, conciliationis causâ, & responsum tulit non incommodum, ita quidem, ut illinc ad Zwinglium & Helverios iret, quò propius animis jungerentur atque sententiâ; ut Sleidanus loquitur. Quæ verba Lucas Osiander inde repetit, statimque addit: Nihil tamen est effectum. Zwingliani enim falsam suam de Coena Domini opinionem deponere noluerunt, & Lutherus de pia sua sententia cedere nec potuit, nec debuit. Nihilominus cum annò 1536. Theologi concordiæ redintegrandæ causâ Wittebergæ denuò convenirent, ac formula quedam conscriberetur, Bucerus eandem ad Helveticos Theologos misit, atque ita interpretatus fuit, quasi ea à doctrina Zwinglii non dissentiret. Sed animadversâ Buceris fraude, Theologi Helveticæ hanc concordiam recipere noluerunt. Intelligebant enim, eam non esse Lutheri sententiam, quam Bucerus Formula Concordiæ affingebat. Ex altera parte D. Lutherus, cum percepisset, quàm alienam sententiam Bucerus Formula illi Concordiæ, suâ fucata interpretatione adscriberet, vehementer in Bucerum excanduit: neque unquam posthac eum in amicorum numero habuit: eumq; publicis scriptis perstrinxit. Ita omnis spes concordie sublata est, tameñsi D. Lutherus Magistratibus Helveticis amicos scripserat, priusquam Bucerus technas agnosceret. Lutherus enim fucatam & insinceram, ac vernati periculosam concordiam & pacem facere noluit. Vix verò inter Zwinglium & Lutherum dissensiones circa Eucharistiam erant enatæ, cum annò 1522. Andreas Bodenstein, Carlstadtus, Wittebergæ in D. Lutheri absentia (delitescere enim in arce Wartburg, tanquam in Pathmo sua) novas turbas in Ecclesia moveret. Non solum enim diversa dogmata nova proposuit, in Sacramentariorum opi-

Vid. Sleidanus
Comment.
libr. VI. p. 175.
176.

Libr. VII.
Comment.
p. 207.
Epic. Histor.
Eccles. Centur.
XVI. libr. II.
cap. XII. p.
195. 196.

Osiand. l. e.
cap. XXXV.
p. 249.

Sleidan. l. c.
p. 72. Ofiand.
l. c. p. 86.

Sleidan. l. c. &
p. 139.
Ofiand. l. c.

Tom. I. Opp.
Latin. Jenens.
fol. 533. seqq.
Sleidan. libr.
IX. p. 337.

nionem inclinans, verum etiam Sanctorum statuas, concitata plebe, è templis exterminatas esse voluit, atque Jure Civili eliminatò secundum leges Mosaicas in causis civilibus pronunciandum esse contendit. Quod tamen factum B. Lutherus Wittebergam reversus improbavit, demonstrans, non hoc ordine progrediendum, sed imagines atque statuas primum esse removendas ex animo, populumq; docendum, solà fide nos placere Deo, statuis verò nihil profici: sublatis illis ad hunc modum & rectè informatis animis, nullum esse periculum amplius, ne quid noceant, & sponte collapsuras: non se quidem repugnare, quò minus tollantur, sed hoc à Magistratu fieri debere, neque permittendum, ut vulgò & promiscuè fiat ab omnibus. Gliscebatur istò tempore occultè secta quorundam, qui cum Deo sibi colloquium esse, atque ab eo se mandatum habere dicebant, ut impiis omnibus interfectis novum constituerent regnum, in quo pii solum & innocentes viverent ac rerum potirentur. Quorum sententiam Carlstadius laudabat, & cum, quod volebat, Wittebergæ perficere non posset, desertà demum statione ad fanaticos illos & Anabaptistas transit. Ex hoc hominum genere prodiit Thomas Münzerus, atque cum tempore alii. Sic itaque Carlstadius cum inter Sacramentariorum, tum fanaticorum coryphæos esse, Ecclesiamque turbare, ac salutarem reformationis negotii cursum inhibere satagit! Cessantibus verò, aut sedatis nonnihil illis motibus alia calamitas Ecclesiam afflxit, dum Johannes Agricola, Islebius, circa annum 1538. discrimine, quod inter verbum Legis, & verbum Evangelii intercedit, insuper habitò Legem in Novo Testamento inculcandam esse negavit, quin potius eandem ex Ecclesia proscriptam, quòd pœnitentia commodius & rectius ex Evangelio discatur, quàm ex Lege. Sectatores ipsius *Antinomi* vocabantur, quamvis & hi sententiis inter se essent divisi. Errantem Islebium in viam revocare conatus est B. Lutherus, ita quidem, ut publicis quoque disputationibus ab eodem fuerit arguendus. Quamvis verò is ad meliorem mentem reversus esse videretur, mortuò tamen Lutherò ad pristinam opinionem

nionem pertinacis defendendam rediit, ac docuit, *Evangelium immediatè magnitudinem offensa & deformitatem peccati ostendere.* Idem Johannes Agicola unà cum Julio Pflugio, Episcopo Numburgensi, & Michaelae Sidonio, Episcopo Martisburgensi, jussu quidem Imperatoris, sed non satis candidè librum INTERIM, sive formam interreligionis annò 1548. conscripsit, quò in statu religio eò usque perseverare deberet, donec Concilium generale, per quod omnia definitur, haberi posset. Qui liber Pontificiis plus justò æquior nostratibus nihil ferè indulgè, nisi quòd calicem Eucharisticum Laicis, & conjugium Sacerdotibus permiserit. Ex istiusmodi verò doctrinis Interimisticis non solum Synergisticæ & Adiaphoristicæ controversiæ fuerunt enatæ, sed & in eos, qui librum recipere recusabant, persecutiones excitatæ fuerunt. Non dicemus pluribus de Matthiæ Flacii, Illyrici, Georgii Majoris, Nicolai Ambsdorffii, Andreæ Osiandri, Samuelis Huberi aliorumque peculiaribus sententiis, quæ fideles vel in diversas traxerunt partes, vel in quamplurimis animos eorum in suspenso reliquerunt. Id verò mirandum est, circa annum 1571, in ipsa Academia Wittebergensi, unde non solum Sacramentariorum errores profligebantur, sed & unde plenior Evangelij lux radios suos emiserat, errores, quos Sacramentariorum sequaces Ecclesiæ obtrudere conati erant, radices figere tentasse. Quibus tamen reliqui cum sinceriores Theologi, tum & integra ministeria sese masculè opposuerunt; rem hanc fusiùs narrante Lucà Osiandrò. Totæ tantæ difficultates priùs superandæ fuerunt, quàm sincerioris doctrinæ veritas in omnibus potuit eluctari. Ceterum quò tempore Huldericus Zwinglius & Sacramentarii Ecclesiæ negotium facecebant, novæ etiam hæreses fraude Diaboli propullulare vel potius veteres dudum sopitæ & ad orbem remissæ paulatim inde interpolatæ reduci cœperunt. Etenim circa annum 1523, innotescere cœpit *Michael Servetus*, aliàs *Reves* ab Arragonia dictus, *Michaelis* quoque *Villanovani* nomine notus, Tarraconensis Hispanus, arte & professione Medi-

Centur. XV.
libr. III. cap.
LXII. p. 322.
seqq.

Medicus. Hic cum diu commoratus esset Parisiis in Gallia, inde in Africam se contulit, ut ibi Saracenicam linguam addiceret & Alcoranum, lingua ista conscriptum, eò melius legeret & intelligere posset. Hic igitur ex Alcorano Turcico sua illa dogmata (quæ Ario quoque antea placuerant,) didicit. Reversus autem in Galliam sua venena cepit disseminare. Quod ipsum ex Schlüsselburgii Catalogo hæreticorum Lucas Osiander annotavit. Lindanus, quem ipse Socinus citat, testatur, in Africam transvetsasse Servetum, ibique Alcoranum fuisse edoctum, & statim postea scripsisse ejusmodi libros, qui doctrinam Christianam in Mahometanam transformaverint. Sicuti autem ante professionem suam in Africam Lutetiæ Parisiorum tunc vixit Servetus, ita post reditum satis quietè Lugduni Gallorum egit, licet annò 1531. septem libros de Trinitatis erroribus, quos ita vocavit, Basileæ in gra forma in lucem emisserit. Quam oscitantiam Daniel Chamier Gallis objectat, inquit: Hanc de Sacrosancta Trinitate doctrinam veritatem noluit Deus in Papismo cum aliis multis articulis suffocari. Hanc ipsam non tantum confessus est Calvinus, sed etiam constantissime tutatus contra novos hereticos, etiam sterentibus Papistis, apud quos Servetus, quamdiu vixit, tunc vixit: tum demum enim vim veritatis expertus in Calvino, & in pio Magistratu sanctam severitatem, cum Genevam venit &c. Exitiales verò Serveti doctrinas quod attinet, is Arit & Photini hæreses, vix amplius notas, ab inferis reduxit, in Photini tamen, quam Ariti hæresin pronior factus, ut nec hanc per omnia missam facere poterit. Non dissimulavit hoc Christophorus à Sande, inquit: Adhacalem Servetum, Hispanum, eadem docuisse cum Paulo Samosateno vulgata est opinio; ac simul eadem docuisse cum Sabellio probaverunt Calvinus, Bellarminus, Petavius, & alii. Et alibi: Fuit Servetus ejusdem ferè opinionis, quam olim Paulus Samosatenus, Photinus & eorum asseclæ ac homodoxi foverunt: nimirum quod distinctionem fecerit inter Jesum Christum Filium Dei, & Verbum illud, de quo S. Johannes in Evangelii sui initio agit. Atque hac in re potissimum à ceterorum Unitariorum, qui nunc Sociniano rum nomine plerumque audiunt, doctrinam discrepaverit. Postquam verò

Epit. Hutor.
Eccles. Centur.
XVI. libr. II. Catalogo hæreticorum Lucas Osiander annotavit. Lindanus, e. XXI. p. 204.
libr. contra
Wujekum.

Panstrat. Ca-
thol. Tom. II.
libr. I. cap. V.
S. 4.

Nucl. Hist. Eccl.
p. 120.
B. libror. Anti-
Trin. p. 9.

verò totos annos triginta iam voce, iam scripto celum ac terram
 infecerat, ut Beza loquitur, factum est, ut *Vienne* in Gallia vo- in vita Calvini
 lumen multis erroribus confarcinatum excudi, clanculum curaverit:
 Re verò patefactâ in carcerem est conjectus. Inde tamen, incer-
 tum quâ arte, nisi fortè quòd Lutheranorum hostem se esse
 professus sit, elapsus per *Italiam* erravit quatuor menses. Tandem
Genevâ malis auspiciis appulsum uixit ex *Syndicis*, autore ac in-
 dicitum faciente *Calvino* in carcerem deduci iussit. Neque hoc
 dissimulavit *Calvinus*, quin potius illam denunciationem
 sui officii esse duxit. Ita enim apertè verbis antea productis
 subiicit: *Neque enim dissimulo, quin officii merdlexerim, hominem
 plus quàm obstinatum & indomitum, quoad in me erat, compe-
 re, ne longius maneret contagio. Videamus, quàm licentiose pas-
 grasset impietas, ut subinde novi errores scaturiant, quanta sit co-
 rumpo ignavia, quos Deus gladiò armavit ad vindicandam nominis sui
 gloriam &c.* *Servetus* igitur *Italiam* petiturus *Genevæ* inter-
 ceptus ac in carcerem conjectus post aliquot hebdomadas ad
 rogam fuit damnatus. Rem istam ita narrat *Sleidanus*: *Sub fi-
 nem Octobris (anni 1553.) Geneva sumtum est de Michaële Serveto,
 Hispano, supplicium. Is multis ab hinc annis varios ediderat libel-
 los inter alia de Trinitate, prorsus alienos à sententia totius Ecclesie.
 Cùmque hoc demum annò Genevâ venisset, Senatus de illo certior
 factus, comprehendi jubet, ac deinde Calvino, qui jam antea scri-
 ptis eum oppugnaverat, & ceteris Ecclesie ministris injungit, ut ser-
 monem cum eo conferant. Itaque multa fuit inter eos & acerba
 disceptatio, cùm ille sæpe numero mandacii Calvini insimularet,
 admodum immodestè. Senatus verò, ne quid in causa tam gravi
 temerè fieret, Doctores de iis dogmatibus consulit *Bernares*, *Tigurinos*,
Basileenses, *Schaffhusianos*: hi respondent omnes, ad summam Dei
 contumeliam illa pertinere: cùm autem non modo de sententia non
 decederet, sed conviciis & maledictis etiam sua propugnaret, da-
 mnatus est capitù. Rem istam *Schlussemburgius*, & ex eo *Lucas
 Osiander* ita referunt: *Cùm Servetus diu per Galliam vagatus es-
 set, Venetiis etiam aliquandiu delitisset: rediens in Galliam, in pro-
 vincia Lugdunensi, propter blasphemias captus est. Sed evasit vasfrò**

Epist. 156. ad
 Schulzerum.

Comment
 libr. XXV.
 P. 311o

Catal. Hæret.
 Epit. H. E.
 Cent. XVI.

eom- p. 205.

B

commento: professus est enim, se esse hostem Lutheranorum. Dimissus autem inde, deprehensus est Geneva, & carceri mancipatus, atque ad dicendam causam postulatus est. Et quidem ipse Calvinus coram politico Magistratu Geneva eum de impiis & blasphemis dogmatibus accusavit. In carcere autem valde perulantem se gerebat: ita ut à retris blasphemis in Deum, & horrendis conviciis in Ministros Ecclesia non abstineret. Audacissimus fuit in citandis Autoribus, quos ille nunquam legit. Neque potuit ullà ratione à sua sententia abduci. Tandem igitur Senatus Genevensis, consultus de hisce doctrinis aliquot Helvetica Ecclesia Ministris, publicè pronuntiavit, eum capitis supplicio afficiendum esse. Hæc igitur sententiâ publicè pronuntiata licet non nihil consternaretur Servetus, tamen in suis erroribus immotus persistit, & vix potuit persuaderi, ut populus jubere-tur pro se preces ad Deum fundere. Tandem igitur igni traditus est. Factum hoc d. 27. Octobris 1553. Quæ circa ejus sup-plicium acciderint, quâ ratione capiti ejus straminea corona sulphure conspersa imposita, corpus ferreâ catena palo alliga-tum, collo crassus funis injectus, femori liber appen-sus, ipseque lentò igne consumtus fuerit, ex Petri Hyper-phrogeni, Gandavensis, Historia Msta de Serveto ejusque morte Christophorus Sandius commemorat. Addit hæc Sleid-danus: Ut ad locum supplicii venit Servetus, hortante Guilielmò Farellò, Christum æternVM Dei Filium invocare noluit, & quàm pænitentia signum nullum daret, causam tamen ad populum minime defendit. Idem confirmat Socinus, Servetum, non ut illi volu-erint, qui illum ducebant, æternVM Dei Filium, sed tantum æter-ni Dei Filium esse confessum. Nec non ex Petro Hyperphroge-no Sandius: Aderat hic Guilielmus Farellus, Ecclesie Genevensis Senior Minister, Calvini vicarius, qui non cessabat Serveto in ex-tremis acclamare: Crede in æternVM Dei Filium, Jesum Chri-stum; cui constanter Servetus: Ego credo, Christum esse ve-rum Dei Filium, sed non æternVM. Ac sic tandem exustula-tus expirans peremptus est. Quemadmodum igitur Ariani Chri-stum quidem Deo Patri $\mu\omicron\upsilon\iota\sigma\omicron\upsilon\upsilon$ esse admiserunt, eundem ta-men Patri $\mu\omicron\upsilon\iota\sigma\omicron\upsilon\upsilon$ esse negarunt; atque Eutyechiani Christum qui

Bibl. Anti-Trin. p. 7. 8. l. c. p. 81.

Libr. contra Wujeck. & Bellatmin. cap. l. §. & cunda ratio. l. c. p. 8.

quidem *EX duobus quibus*, *EX duabus naturis esse* largiebantur, eundem
tamen *EN duo quoniam*, *IN duabus naturis esse* negabant, ut hoc pactō
lis ad unicum literulam recidere videretur; ita & Servetus in
una litera vel syllaba latibulum quæsit, Christum quidem
æterni Dei Filium confessus, eundem tamen *æterni Dei Filium*
esse negans, cum tamen in hujusmodi literulæ permutatione
crimen hæreseos delitescat. Quamvis verò Servetus hæc pa-
ctō esset extinctus, ex illius tamen cineribus alii plures Ser-
vetō non meliores, imò deteriores suppullularunt, à Beza ma-
ximam partem recensiti. Inter eos præcipuè memorandus Epist. 81.
est Lælius Socinus, Senensis, Italus, non incelebri familiâ or-
tus. Is in ditione Veneta collegia & colloquia de religione cum
pluribus, quos inter Bernhardus Ochinus, Valentinus Gentilis,
Johannes Paulus Alciatus, aliique fuerunt, instituit, in qui-
bus dogmata Ecclesiæ de SS. Trinitatis mysterio, de Satisfa-
ctione Christi & similia sollicitavit inque dubium vocavit.
Quod cum detestum esset, de nonnullis capitis supplicium
est sumtum, reliqui fugâ salutem sibi quærentes patriâ, excules-
runt, inque diversas oras se contulerunt. Antesignanus hic, Læ-
lius Socinus, patriâ relicta, Helvetiâ autem, Galliâ, Britanniâ, Bel-
giâ, Germaniâ, Poloniâ peragratis, quò venit, hæreseos suæ vi-
rus hominum animis sensim instillare laboravit. Adcò ve-
rò profundum simulatorem egit, ut nihil, nisi disputandî
causâ, & semper interrogans, quasi doceri vellet, propone-
ret; quò etiam factum, ut *non nisi post mortem cognitum fuerit*
hujusmodi perniciosissimis hæresibus laborare. Lælii hujus ex fra-
tre germano, Alexandro, nepos fuit Faustus Socinus, ex A- Beza Epist. cit.
gnete, Burgessii Petruccii, Senarum Principis, filia genitus,
ac proinde plurimis Italiæ Principibus ac Magnatibus, ut &
Pio II. & III. nec non Paulo V. maximis Romanorum Pon- Epist. ad Squar-
cialupum
tificibus sanguine junctus. Is ultrò factus est, se è Lælii qui-
busdam pauculis ab ipso conscripta, & multis annotatis profecis-
se, imò præterea nullum prorsus magistrum habere sibi contigisse.
Atque hic est Faustus ille Socinus, à quo hæresis Photiniana,
tanquam à præcipuo restauratore, *Sociniana* hodie audit. Gra-
tia

Epist. 3. ad Radecium.

Epist. ad Marcell Squarcilopum.

ciâ Magni Hetruriæ Ducis aliorumque Italiæ procerum posthabitâ, opibusque ac possessionibus suis (quæ ei postmodum tanquam hæretico, Pontificis maximi decreto, profus ablatae sunt,) relictis Italiâ sponte excessit, in Transsylvaniam & Poloniam delatus; ubi favore Anabaptistarum, qui in illis locis plurimi, etsi non satis inter se concordēs, erant, adjunctus suum virus & voce, & scriptis, clam, palam evomuit, & longè lateque disseminavit. Ipsemet Faustus Socinus hæc de se scripsit; *Ego is sum, cui fortasse ii omnes, qui Christi nomine appellantur, in pluribus adhuc errare videtur.* Et rursus: *Neminem hodie esse arbutror, qui in tot ac tantis Christiana religionis placitis à reliquis hominibus dissentiat, in quot quantusq, ego dissentio.* Ceterum ex Anabaptistis, ad quos diverterat Socinus, nonnulli eam de Christo tuebantur opinionem, quam olim Arius foverat, Christum videlicet habuisse quidem existentiam ante mundum conditum, eum verò nihilominus esse creaturam, nec Patri æqualem; quam hæresin quoque Georgius Blandrata, Matthæus Gribaldus, Johannes Paulus Alciatus, Valentinus Gentilis, aliique Novi Ariani sequebantur, S. Athanasium, ob Symbolum Ecclesiæ traditum, *Satanasium* criminatione Diabolicâ appellantēs. His verò Socinus contradicebat: & resumtâ veteri Photini hæresi hoc propugnare satagebat: Christum nullam prius habuisse existentiam, quàm cum ex matre Maria homo esset natus. Præcipuè vero hæc re Socino gravis disputatio cum Erasmo Johannis, novo Ariano, intercessit, quæ annò 1584. d. 30. Novembris absoluta Racovizæ demum annò 1595. impressa fuit. Accidebat etiam, ut Anabaptistæ Socino iterationem Baptismi suaderent. Quâ in re quamvis eos non audiret, ac propterea ab eorundem cœtibus aliquandiu arceretur, Cracovizæ tamen d. 15. Aprilis annò 1580. monstruosam de Baptismo aquæ disputationem conscripsit, in qua ostendere laboravit, Baptismum hodiè profus non esse necessarium, sed eundem tantum ceremoniam ad initia Ecclesiæ unicè pertinentem fuisse. Quò ipsò effecit, ut Sociniani de infantum baptismo pravam susceperint opinio-



opinionem, & Petrus Gonesius eundem unâ cum SS. Trinitatis dogmate in Polonia impugnaverit. Omnium acerri-
ma disceptatio Socino intercessit cum Francisco Davidis, ma-
gnæ inter novos hos hæreticos autoritatis homine, scriptis
annò 1578. & 1579. hinc inde instituta, ac tandem Claudio-
poli in Transylvania absoluta, quæ ad Georgium Blandra-
tam, à Francisci Davidis partibus stantem, se extendit. Con-
tendebant hi, Christum, cum perfectissimâ ratione Deus non
sit, planè non esse adorandum: oppositam verò sententiam
propugnabat Socinus, qui hunc Franciscum apertè *hæreticum*,
imò *plus quàm hæreticum* judicabat. Eadem concertatio Soci-
no intercessit cum Christiano Francken, Jesuitarum familiæ
primùm Romæ adscripto, deinceps scholæ Chmielnicensis
in Polonia Rectore, ac denique Lectore Claudiopolitano in
Transylvania, quem tamen postea opinionem de Christo non
adorando retractasse ferunt. Atque tandem regnum quasi
inter suos Faustus Socinus obtinuit & Theologiam suam,
quam ad placitum suum concinnaverat, Anabaptistis istis at-
que novis Arianis totam propinavit atque infudit. Sicuti
ergo mediò Seculò IV. in Synodo, quam Sirmii in Pannonia
Constantius Imperator, Arianis addictissimus, præsens cele-
brari fecit, Photinus, urbis Episcopus, sede suâ dejectus, at-
que hæresis ejus damnata fuit, eòq; pactò hæresis Ariana Pho-
tinianam oppressit: *erant enim Arianus & Photinianus ambo*
hæretici, & adversus se ambo divisi, ut Augustinus loquitur; ita
sextò post decimum seculò *mutatâ vice Photiniana hæresis Ari-*
anam oppressit; observante hoc B. Hornejd. Neo-Photinianæ
illius hæreseos post *infaustum illum Socinum* haud postremi
promachi fuerunt Valentinus Smalzius, Gothâ Thuringus,
Johannes Volkelius, Grimmâ Misnicus, olim annò 1578. *in-*
ter Stipendiarios Electoris Saxonie, Augusti, numeratus; Christo-
phorus Ostorodus, Goslariensis, Johannes Crellius, Fran-
cus, Johannes Somerus, Pirnâ Misnicus, Georgius Schö-
mannus, Ratiboriensis Silesius, Thomas Pisecius, à Marto-
witz, Nobilis Silesius, Germani omnes; & è Polonis, Hie-
rony-

Serm. II. de
verb. Dom.

Disp. Theol.
IV. Sect. IV.
p. 119.



ronymus Moscorovius, à Moscorow, eques Polonus; Adamus Goslavius, à Bebelno, Andreas Voidovius, Andreas Wisfowatius, à Szumki, Fausti Socini ex unica filia, Agnete, nepos, & plures alii, quorum Christophorus Sandius, Regiomonti annò 1644. natus, Amstelodami autem annò 1680. defunctus, Christophori, Borussi, filius, Philippi Sandii, Senatoris Crucibergensis, nepos, in Bibliotheca Anti-Trinitariorum prolixiorem texuit catalogum; cui post alia Johannis Stoinii, alias Statorii, cœtus Racoviensis Pastoris, Chronologiam graduum, quibus hæresis Neo-Photiniana in Polonia sensim ad summum pervenit, adjecit. Qui hæresin hanc fovent, ab infausito illo Socino *Sociniani*, & quia Photini hæresin recoxerunt, *Neo-Photiniani* appellari solent, qui & in Transylvania ac Polonia, (ubi minorem Ecclesiam constituunt,) confidentes, ibique religionis suæ libertate gaudentes *Vnitariorum* nomen assumerunt, ad differentiam eorum, qui Trinitatis mysterium profitentur: unde & *Anti-Trinitariis* suat accensendi. Quàm maximè verò *Vnitariorum* nomen & appellatio ipsis placuit, quòd, ceu in epistola de vita Andreae Wisfowatii, quæ in Bibliotheca Anti-Trinitariorum extat, dicitur, *Sacra Scriptura, Symboli Apostolici, primæque Ecclesia vestigia*, si Ds placet, *insistentes religionis, aliquam in summo Numine divisionem multitudinemve statuerent ducentes, simpliciter tantum unum (ut essentia, ita personam) summum, seu illum verum Deum, Creatorem cæli & terra, eumque solum PATREM, confiteantur, unicum præterea Dominum (tam personam, quam essentiam seu naturam) JESUM CHRISTUM, unigenitum illius Altissimi Filium adorantes.* Ut verò hi *Vnitarii* hæresin tantò magis stabilire, imò longè latèque disseminare possent, circa annum 1600. beneficid Jacobo à Siennesi Sienninski, Palatinidis Poloniae, Domini Racoviæ, antea Calviniani, postmodum *Vnitariis* addicti, Racoviæ & scholam, & Typographiam ad Ecclesiarum suarum utrumque crexerunt; quam etiam scholam absque legibus suis esse noluerunt, quarum, uti & primorum moderatorum sive Scholarum, Christophorus Sandius mentionem

tionem facit. Quod tamen *asylum ac profugium exulum*, veli-
gionis, ac *Musarum sacrarium* annò 1636. ex decreto Comiti-
orum *Warsaviensium* dirutum. Ecclesia Arianis istis adema-
ta atque occulsa, typographia sublata, Ecclesiæ Pastores, scho-
larumque Professores ac Præceptores infamia notati ac proferi-
pti sunt. Habuerunt verò adhuc aliam Typographiam in
Lithuanæ oppido *Losko*, quæ tamen primùm *Vilnam*. de-
inceps *Lubecam*, oppidum ad *Chronum* amnem situm, est trans-
lata, quamvis & hæc partim peste, partim Moscorum irru-
ptione annò 1655. vel 1656. deserit. Intervierunt hæ Typo-
graphiæ pluribus Socinianorum sive Vnitatorum libris pessimas
hæreses in sinu alentibus divulgandis & per totum eru-
ditum orbem dispergendis. Summam verò hæresium suarum
atque errorum in Catechismo *Racoviensi*, à loco, unde pri-
mùm prodiit, sic appellato sunt complexi. Initia hujus libelli
Georgius Schomanus videtur duxisse, ex sacris literis,
prout quidem causatur, Catechismum pro liberis suis colligens;
nec non *Faustus Socinus*, qui brevissimam Christianæ
religionis institutionem, per interrogationes & responsio-
nes, quam Catechismum vulgò vocant, inchoavit, morte
autem præventus eam non absolvit. Eidem Socino non
minùs, quàm *Petro Statorio* provincia reformationis Cate-
cheseos *Racoviænæ* demandata quidem fuit, at verò cùm u-
triusque mors telam abrumperet, labor iste per *Valentinum*
Smalzium & *Hieronymum Moscorovium* potissimùm conti-
nuatus fuit. Atque sic Catechesis *Racoviensis* annò 1605.
Polonicè prodiit. Eadem in linguam Latinam ab *Hierony-
mo Moscorovio* translata, atque ab eodem *Jacobo*, Magnæ
Britaniæ Regi, dedicata lucem annò 1609. aspexit. Nec mi-
nùs ipsa in linguam Germanicam anno 1612. translata, atque
Academiæ *Wittenbergen*si dedicata fuit; quò etiam per pe-
culiarem tabellarium est missa. Catechesi huic notas ad-
juxit *Martinus Ruarus*; *Johannes* verò *Crellius* & *Jonas*
Schlichtingius eandem recognoverunt atque auxerunt. De
variis istis editionibus plura in *Christophori Sandii Biblio-*
theca

l. c. p. 171. 172.

l. c. p. 233. 234.

l. c. p. 169.

l. c. p. 77. 78. 80.

100.101.114.115.

117.130.146.196.

theca Anti-Trinitariorum leguntur. Utuntur verò Vnita-
 rii duplici Catechesi, minore pro parvulis & rudioribus, ma-
 jore verò pro provectioribus. Facultas Theologica Witte-
 bergensis anno 1620. Catechesi Racoviensi refutationem in
 linguâ vernacula opposuit, Friedericò Balduinò eidem ca-
 lamum commodante. Extat tamen ea quoque in Latino idy-
 omate. Quò locò verò libellus iste in Anglia, præsertim à
 Jacobo Rege habitus, quâve ratione exceptus fuerit, edoce-
 re nos potest Ilaacus Casaubonus, in Præfatione Exercitationi-
 bus ad Baronii Annales præmissa Regem Jacobum inter alia sic
 alloquens: *Mexini, Rex deos Basalo, quum ante biennium parvus
 quidam liber horrendarum hæresium plenus, ab hæreticis, nescio qui-
 bus, Polonis Racoviz esset editus, & quidem augustò tuo nomini in-
 scriptus: posteaquam in tuas manus is libellus devenit, & Tua Ma-
 jestas pauca in eo inspexit, quanta cum detestatione & scriptum Sa-
 tanicum, & ejus autores, certissimam Satana progeniem, sis exe-
 cratus, severe in illos animadversurus, si tui juris & potestatis fu-
 issent.* Quò etiam locò deinceps hæc Catechesis apud Britan-
 nos fuerit habita, non potuit Christophorus Sandius dissimu-
 lare, liberaliter factus, annò 1653. mense Aprili, decretò Parlia-
 menti in Anglia, eam igni esse adjudicatam. Scilicet in parvo
 hoc libello aliisque horum Pseudo-Christianorum scriptis
 vera divinitas & ὁμοούσι Filii Dei cum Patre negatur: divi-
 na Spiritûs Sancti personalitas tollitur: evertitur Incarnatio
 Filii Dei, ἡ ἀόρα: dualitas naturarum diversarum in Christo
 exploditur: imò Christi meritum & satisfactio pro totius
 mundi peccatis rejicitur: Justificatio per solam fidem in san-
 guine Christi aboletur: Peccatum originis tollitur: necessitas
 baptismi negatur; corpus & sanguis Christi è sacra Cœna a-
 moventur, quòd post resurrectionem suam Christus nec car-
 nem, nec sanguinem amplius habere, sed spiritum vivificantem, jux-
 ta corticem literæ, ab Apostolo dicitur factus esse: resurrectio
 mortuorum per substitutionem alterius numerò cor-
 poris ab eo, quod carneum hîc circumgestavimus, abrogatur:
 creatio ex nihilo & animæ rationalis immortalitas sollici-
 tantur:

l.c. p. 105. 106.

1. Cor. XV. 45.

tantur: venia apud Deum iis, qui Christiani facti in atrocibus peccata demum prolapsi sunt, non obscure præscinditur. Vno verbo: novum & omni retrò ætati in Ecclesia imauditum ac clarissimis Scripturæ assertionibus adversissimum, unius tantum malè sanæ rationis placitis subinde arridens, Theologiæ systema procuditur. Quamvis autem ejusmodi sint Neophocinianorum sive Unitariorum scripta, qualia paucis ea sunt delineata, mirum tamen, quòd nonnulli pravas illas sententias non quidem approbantes, nihilominus vel ipsi Socinianorum scripta vel avidè legant, vel aliis legenda commendare non dubitent, idque duplici potissimum de causa: partim quòd impia illa scripta magnum in genuino S. Scripturæ sensu investigando usum præsentent, partim quòd in iisdem Reformatorem de absoluto Prædestinationis sive electionis nonnullorum ad salutem æternam, nec non absoluto reprobationis nonnullorum à salute æterna decreto horridior sententia strenuè refutetur. Verùm enim verò prior causa proorsus nulla est, cum genuinus Scripturæ sensus aliunde rectiùs hauriatur, quàm ex hujusmodi hæreticorum scriptis: quippe quæ non tam ad Scripturæ Sacræ genuinum sensum ducunt, quàm ad artem veteratoriam Scripturam Sacram à genuino & nativo suo sensu, plausibili quâdam specie & ratione, in alium à Spiritûs Sancti intentione alienum ac præconceptæ ad Scripturæ interpretationem allatæ opinioni congruum sensum detorquendi occasionem præbent. Neque posterior causa valida potest judicari. Quamvis enim Socinianorum scripta absolutum Prædestinationis & reprobationis decretum servidè impugnent, sicuti nec reliqui hæretici in omnibus à veritate ita recesserunt, quin partem ejus retinuerint: *ecquis enim ab ostio penitus aberret?* ut in proverbio dicitur; errorem tamen aliò errore surrogatò pellunt, & Calvinianam Scyllam vitantes in Pelagianæ hæreseos Charybdin incidunt: *nequam autem error errori repellendo ita inservit, quemadmodum venenum venenò expellitur*, ut rectè atque eleganter Paulus Tarnovius inquit in Præfatione, quam libro suo de Trinitate

II. Metaph. 3

C

Fausti

Fausti Socini libro contra Wujekum & Bellarminum opposito præmisit. Essent etiam fortè nonnulli, qui hominum hujusmodi malefactorum improbos conatus indignos judicent, quibus refutatio opponatur, propterea quòd illorum errores in veteribus Photinianis, Pelagianis & similis furfuris hæreticis à tota Ecclesia dudum fuerint improbati & damnati. Verùm ut hoc consilium apud aliquos quidem fortassis locum inveniatur, eos videlicet, qui rerum Ecclesiasticarum peritiam habent, atque totius Ecclesiæ autoritati suam nõdunt statuerent pretium, apud imperitos tamen & semidoctos quoque illud vix suffecerit, ut illi à præcipitio in tantos errores, rationi non nisi vulgaribus rebus affixæ nimium blandientes, inusitatisque Scripturæ torsionibus aliisque novitatibus se commendantes, validè revocentur. Refutatio igitur omninò impudentibus & versutis machinationibus erit opponenda, atque ostendendum, procaces execrabilibus errorum patronos nimium sapiendo efficere, ut longè plurimum desipiant. Quapropter ea placent, quæ apud B. Meiserum ita leguntur: *Photinianam heresim non novam, sed renovatam: non primùm refutandam, sed dudum refutatam damnatamq; esse cuius apparet: unde non pauci hætenus in ea fuerunt sententia, indignos esse istos hostes, quibuscum proluxa concertatio inerat: siquidem jam olim convicti, & ex Ecclesia proscripti sint, neque in nostris per Dei gratiam regionibus sedem aliquam invenerunt. Neque ineptè huc applicari potest Cypriani consilium scribentis ad Demetrianum: Verecundiùs ac meliùs sibi videri errantis imperitiam silentiò spernere, quàm loquendo dementis insaniam provocare. Nos utique malle mus bonas horas melioribus & quietioribus studiis, quàm legendis & refutandis istis dogmatibus blaphemis impendere: interim tamen diutius tacere non videtur amplius consultum, quia silentium nostrum pro victoria interpretatur adversarij & multos decipiunt hõc schemate, doctrinam suam ita comparatam esse, ut à nullo Evangelicorum aliquid contra proferri possit. Succurrendum insuper nostris in fide sociis, inter hæreticos istos viventibus, quibus arma suggerenda, ad veritatem mansuè defendendam, ne præsidis destituti vel vincantur, vel ad minimum*

Præfat. Consider. Theol. Photin.



nimum in Evangelica doctrina dubii reddantur. Proditor est veritatis, qui aut non liberè pronunciat, aut non sufficienter defendit eam; ait graviter B. Chrysostomus Homil. 35. super Mattheum. Hæc Meisnerus. Quæ cum ita sint, divinâ faventæ gratiâ præcipuas Socinianorum hæreticas pravitates excutere easque ad veritatis divinæ in sacris literis patefactæ lancem hæc hyeme expendere constitui, præsertim quòd Serenissimi ac Potentissimi Academiæ JULIÆ Nutritores communi sententiâ, clementissimò diplomate nuper expressâ, ex quo Professionibus Philosophicis in vicissimum nonum annum præfui, juxta illas etiam per sex annos Theologiæ docendæ simul admotus fui, sacrarum Controversiarum tractationem partium esse clementissimè voluerint. Quam provinciam arduam quidem, laborisque ac molestiarum plenissimam esse facilè intelligo, præsertim quòd non una Religionis Christianæ pars ab adversariis peti atque sollicitari soleat, contradicentium etiam, sententiis licet nimium quantum à se invicem diversorum, magna se offerat multitudo, nec unâ ratione veritatem cœlestem oppugnent. Sed sicuti oneribus, unde studiosæ juventuti commodum, Ecclesiæ salus, Academiæ celebritas, bonæ ac solidæ eruditioni incrementum accedere, quibusque ante omnia gloria Dei amplior reddi potest, me subducere non sum solitus, ita novè huic oneri humeros promptè submittam, in Deum O. M. omnem spem reponens, ac confidens, quòd me servorum suorum minimum gratiâ suâ non sit destitutus. Post Deum O. M. in singulari gratia ac clementia magnorum Heroum, per quos hæc Academia sustentatur, mea collocata est fiducia, quippe qui tantò majorem ejus partis S. Theologiæ, quæ sacras Controversias tractat, rationem habendam esse clementissimè censuerunt, quantò majore & ampliore bonæ eruditionis apparatu non minùs, quàm sollicitâ circumspèctione & prudentiâ eandem ad sui culturam indigere semper intellexerunt. Unde non solum eò locò sacrarum Controversiarum Professionem habuerunt, eòque honore dignati sunt, quem

verbis exprimere modestia mea non patitur, quæ etiam prohibet, quò minus verba ex literis summorum Principum ad Facultatem Theologicam olim clementissimè datus huc repetam. Certè sicuti Serenissimi Academix nostræ Nutritores hujus spartæ haud postremam rationem abs se haberi literis suis non semel clementissimè significârunt, ita huc usque exercitatisimos Theologos, quorum gloria adhuc post ipsorum fata orbem eruditum illustrat, eidem præesse jusserunt, quorum vestigia vel eminus ac passibus imparibus per longiora intervalla legere summa curarum mearum est futura. Ut verò de aliis nostris Antecessoribus non dicam, mentio saltem mihi faciendâ erit *B. D. Conradi Horneii*, qui magnâ industriâ hanc provinciam usque ad beatam suam ex mortali hac vita emigrationem, quæ in d. 26. Septemb. anni 1649. incidit, egregiè ornavit. Sequenti annò 1650. fidei ipsius *vivens B. D. Georgio Calixto*, Theologo uti eruditione, ita & meritis summo vacuum hoc munus in solenni Academix Visitatione fuit demandatum. Cùm verò hic quoque d. 18. Martii 1656. ex hac vita excessisset, sequenti annò denuò vacuefactam hanc provinciam ex diserta ac clementissima Serenissimorum Ducum Brunsvico-Lüneburgensium voluntate iidem in solenni Academix Visitatione significata *B. D. Gerhardus Titius*, vivò *B. Georgiò Calixtò* tertium in Theologica Facultate locum ornans, suscepit, cujus vel tantò lubentius honorificam mentionem faciendam esse duxi, quantò majoris olim mihi voluptatis res fuit, ad hujus Præceptoris, tanquam fidelissimi Gamalielis, pedes attentum discipulum me sedere, ex facundo ejus ore solidissimas doctrinas haurire, accuratissimas dubiorum in medium prolatorum solutiones, promptissimasque ad propositas quæstiones responsiones percipere. Quod si itaque verum est, quod Aristoteles dicit: *eos, qui recordantur, voluptate quâdam affici*, jucundâ hæc tantorum fidelissimi Præceptoris in me collocatorum beneficiorum non potest non animum meum hodiernum demulcere, præfertim, quòd ille ab affectu suo erga me nunquam remiserit, sed

I Rhet. XI §. II.
12, 13, 14.

sed potius in eodem, postquam me Ordini Professorum ad-
 scriptum Collegam habuit, constans perseveraverit. Sed &
 ille placidâ morte d. 7. Junii annò 1681. oculis nostris est sub-
 ductus, postquam conjunctissimi sui Collegæ, D. Balthasaris
 Cellarii, mortî ante decennium indoluisset. Provinciam B.
 D. Gerhardi Titii obitu vacuâ factam post duorum annorum
 decursum sortitus est B. D. *Friedericus Vlricus Calixtus*, quam
 tamen non pro lubitu aut suo arbitrio, priore statione relicta,
 suscepit, sed à summis Principibus jussus & legitime voca-
 tus, quorum clementissimum mandatum, postquam Facul-
 tas Theologica prius in consilium adhibita fuisset, ad eundem,
 Senatu Academicò interprete, Martiò mense annò 1683, per-
 venit. Venerandi hujus de Academia & studiis Theologiæ
 optimè meriti senis d. 13. Januarij 1701. placidâ analysi ad æter-
 nam beatitudinem vocati partes post trium propemodum an-
 norum intervallum Serenissima Domus Brunsvico-Lünebur-
 gica nuper in me devolutas, meque B. *Calixti* in tractandis
 & explicandis dogmatibus controversiis successorem esse cle-
 mentissimè voluit. Quam tantorum Heroum prorsus singu-
 larem erga me gratiam sicuti humillimâ mente veneror, ita
 ad munus hoc peculiari diplomate mihi injunctum obeun-
 dum ac ornandum protinus me accingo, divinâ adjutus gra-
 tiâ memoratorum Antecessorum meorum vestigiis inhæsurus.
 Video autem latissimum de diversis rebus Theologicis ex
 publica cathedra agendi campum mihi esse adaptum. Non
 solum enim Judæorum perfidia nobis erit retundenda, sed &
 veterum hæreticorum impietas destruenda veniet, cumque
 nulla facillè emergat nova hæresis, quin vel sui initium, vel
 saltem occasionem in antiquorum hæreticorum commentis
 inveniat, post alias hodiernorum Socinianorum præcipua ha-
 benda erit ratio. Sed nec dimittendi erunt hodierni Re-
 monstrantes sive Arminiani, quippe qui Socinianorum para-
 rii tantopere esse amant, ut ex nostratibus non postremi or-
 dinis Theologus judicaverit, *non tam ovum ovo, quàm Remon-*

Kromayer. H.

E. Cent. XVII.

bus p. 545.

bus Arminius jam tùm ante Synodum nationalem Dordracenam Reformatis suspectus fuit, uti ex Paræi epistola Calend. Mart. anno 1613. scripta colligere licet, in qua hæc verba usurpat: *Arminium vestrum Sociniani nuper in Polonia expresse ut suum nominarunt, unâ cum quodam Bonfinio & Acantio clandestinis affectis, quorum autoritate postularunt à fratribus orthodoxis (Reformatis in Polonia) fraternitatem, isti verò fortiter recusarunt.* Quamvis autem Arminiani in Belgio horribilem Calvini, Bezæ, aliorumque de absoluto Prædestinationis decreto, ante prævisionem lapsus collocato, seriò, in aliquibus etiam rectè oppugnaverint, quia tamen illi ipsi deinceps de merito Christi ambiguè & periculose sentire, de principio, à quo fides effectivè dependet, & de impotentia credendi in homine, à sola voluntate hominis ex consuetudine tantum contracta, de ipsa quoque fide, cui obedientiam mandatis divinis debitam includunt; ut de aliis non dicamus, cum Pelagio & Socino facere deprehendi sunt, si quam laudem ex aliarum perversarum doctrinarum destructione sortiti sunt, eam hoc pacto vehementer decolorarunt. Sed nec prætereundi nobis erunt Anabaptistæ, & qui horum progenies sunt, Quakeri, cum reliquis fanaticis, nec non iis, qui sub pietatis Zelo Ecclesiam hodie affligunt. Recolenda etiam erunt certamina in nostris Ecclesiis mota, quamvis plerorumque fervor deferbuerit. Ac denique hodiernorum Reformatorum sive Contra-Remonstrantium, uti & Pontificiorum peculiare doctrinæ sub examen sunt vocandæ; nec minùs hodiernæ Ecclesiæ Græcæ instituta lustranda. Quamvis verò hæc unâ eademque operâ præstari aut absolvi nequeant, ordine tamen incedendum erit, ut tandem vel omnis Satanz machina destruat, vel doctrina Christiana ad suam, quâ gaudere debet, sinceritatem revocetur. Hæc vice nos, uti jam tùm inuimus, exercebunt *Neo-Photinianorum* sive *Socinianorum* strophæ, qui quòd Mysterium SS. Trinitatis insipientes, unum Deum, uti essentiâ, ita & personâ cum Sabellio & Paulo Samosateno agnoscant, *Unitarii*, item *Anti-Trinitarii* vocari malunt.

Confess. Remonstr. cap. X. §. 4. 5.
 Apol. cap. lxx.
 p. 94. b. cap. X.
 p. III. p. 126.

malunt. Non quidem hæc vice omnia atque singula, in quibus illi à cœlesti veritate recedunt, rimabimur, sed tantum præcipua, quibus reliqua superstruunt, sub examen vocabimus, ita quidem, ut formatò quæstionis seu Controversiæ statu Socinianorum heterodoxas & hæreticas doctrinas partim ex Catechesi Racoviensi, partim ex ipsius Fausti Socini Prælectionibus, nec non aliis sectæ isti addictis præcipuis Scripturis simus indicaturi; iis verò deinceps in catholica Ecclesia constanter assertatas sententias opposituri, cum rationibus ex Scriptura Sacra, tum unanimi primitivæ Ecclesiæ consensu roborandas; postmodum ad Socinianorum argumenta & exceptiones ita sumus responsuri, ut omnis eorum vis elidatur. Digna erit, vestris, *Studiosi optimi*, contemplationibus ac meditationibus nostra hæc consideratio, quippe quæ non solum orthodoxiam vestram secundum ὑποτύπων τῶν ὀρθοδόξων λόγων stabiliet, verum etiam mentes vestras ad plurima Scripturæ Sacræ dicta rectè intelligenda atque ab adversariorum depravationibus vindicanda præparabit, simul etiam veterum hæreticorum novorum horum Photinianorum ἑσθλῶς errores deteget ac profligabit. Volui de his ad Vos, *Studiosi Optimi*, hæc occasione, nonnihil præfari, quâ Controversias Ecclesiæ cum Neo-Photinianis hæreticis intercedentes excutere constitui, quarum lectionum proximè futurò Jovis die, qui erit mensis Decembris dies VI. horà octavâ matutinâ initium faciam in *Theologorum Auditorio*. Adeste itaque, *ô Optimi*, mihi frequentes, ac meam in docendo industriam vestrâ solertiâ, ceu hæctenus laudabiliter fecistis, porò excitate, alite, fovete. Gratia Spiritûs Sancti sit vobiscum omnibus, atque in singulis abundanter porò operetur! Valet, & res vestras præclare gerite! P. P. in illustri Academia JULIA Prid. Calend. Decembris
Annò clò Ioccciii.



1274

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



00 A 6466

ULB Halle 3
002 937 239




Sb.


VO 17

240 ✓

HL 74







18

JOH. BARTHOLDI NIEMEIERI,
SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS, EJUSDEMQUE PRO-
FESSORIS PUBLICI AC ORDINARIJ

PROGRAMMA LECTIONIBUS

CONTRA

NEO - PHOTINIANOS

SIVE

SOCINIANOS

publicè

IN ILLUSTRIS ACADEMIA JULIA
instituentis
præmissum.



HELMESTADII,
TYPIS GEORG. VVOLFGANGI HAMMI, ACAD. TYPOGR.
ANNO MDCCIII.

